

Zeitschrift: Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie
Band: 6 (1892)

Artikel: Syllabus Pii Pontificis Noni in universa re philosophica iuxta mentem S. Thomae Aquinatis recentiumque philosophorum
Autor: Angelis-Stella, Guilelmus de
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-761955>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 22.01.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

SYLLABUS PII PONTIFICIS NONI IN UNIVERSA RE
PHILOSOPHICA IUXTA MENTEM S. THOMAE
AQUINATIS RECENTIUMQUE PHILOSOPHORUM

per Prof. Dr. Guilelmum De Angelis-Stella Neapolitanum
evolutus.

Lectoribus.

Ubi primum Syllabus Pii IX typis fuit editus, aliqua ad rem disserere mihi in mentem venit. Inter tot dissimilia, illa ad philosophiam spectantia elegi, uti quae meis studiis meoque ingenio faverent. In quo opere persolvendo, Nuntii Signorellii, celeberrimi philosophi consilio, Philippi Pelusi a Secretis, Cleri quotidiana instantia, ac praesertim Archiepiscopi Riarii-Sfortiae munificentissima solertia, qui mihi suam patefecit bibliothecam, quo largius in opus praedictum incumberem, fui adiutus. Igitur pene omnes meae aetatis philosophos perlegi, eosdemque profunde consului, ut mea scripta, nisi perfecta, tamen prae viribus digesta viderentur. In S. Thomam primo incubui, qui in tenebris splendida fax, in dubiis rebus dux omnibus adfuit; illius philosophiam per multos annos edidici, juvenesque edocui, et merito ejus doctrinas maximi feci, uti qui meam excoluerat adolescentiam, mea impleret scripta. Utinam Aquinatis praecepta assecutus essem, id mihi gaudio, posteris commodo foret! Sed iam omnia parata erant, jamque cuncta publicam lucem visura animo gaudebam. Me miserum! Mirabilia sunt consilia Dei! Domus mea opulenta, claris maioribus orta, repente omnem rem familiarem amisit, omnibusque fuit divitiis exuta, mihique vita maximo moerore fracta vivenda. Ad hoc matre orbatus, qua nulla mulier sub sole melior nata, nobili genere edita, ac multo magis praestanti ingenio praedita fuit, plurimis annis ejusmodi iacturam comploravi, et quoties recordor, vix lacrimis abstineo. His vitae tempestatibus, nulla spes, nullum auxilium, nulla vox amica, quae me tot tantisque malis liberaret. Tandem aurora emicuit, dies optata adfuit, Deus e caelo prospexit, et multis post annis opus lucem videt. Sed meo Archiepiscopo Gulielmo Sanfelicio gratiam referam, qui studia toto conatu fovit, ingenia omni cura tuetur et optime de Clero ac populo est meritus. Igitur animadvertite et favete. Cuiusque catholici interest suam fidem et verbo et opere

paucorum suis scriptis vindicare. Hinc mea sententia Religionem defendere, eiusque signa latius inferre, quam plurimos hostes ad Christi ovile comparare, fuit. Res erit de philosophia, de qua quisque loquitur, quamque omnes excolunt, sed non uti cuique est fas; et saepissime scientiae erroribus refertae dant operam; ideo ad verum colendum singulos me revocaturum spero. Utrum meum propositum sim assecutus nescio, scripta ostendent; an argumenta quibus utar sint firmissima, sub iudice lis, veritas comprobabit. Interea magnopere mea refert officio diligentissime esse perfunctum, atque omnia, qualiacumque sint, Deo, Deiparae humillimis precibus commendare. Vos tamen lubenti animo hoc meum opus excipiat, scriptori faveatis rogo. Valete.

Nullum supremum; sapientissimum, providentissimumque Numen existit, ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura et idcirco immutationibus obnoxius, Deusque reipsa fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt, et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et iustum cum iniusto.

Alloc. Maxima quidem, 9. Junii 1862.

Philosophiae systemata, quae saeculo undevicesimo vitam habuerunt, ad eclecticum, mysticum, rationalismum, pantheismum revocari mihi videntur. Ratio autem, fundamentum, omnium systematum conclusio nulli unquam dubium, quin in pantheismo reponantur. Methodis enim Gassendi et Condillachii materialismum olentibus absolutis, aetas procellae instar tenebrosum caelum lustrantis adfutura erat, quae hominis mentem cum Deo una eademque ratione misceret. Haec quidem in eclecticismo Royer-Collard, anglici scriptoris reperitur, penes Gallos quoque, Victoris Cousinii opera, fuit perfecta, quare scientiae nuncium dare, historiam colere oportebat. Sed Cousinii eclecticismus tandem in Pantheismum transiit. Ipse enim instituit rationis analysim, in qua recensitis quae ad infinitum et finitum spectant, has sententias non unam ab altera gigni, sed unum idemque esse vindicat. Ad hoc omnia rationis humanae elementa rationi divinae tribui, quasi ipsius integrales partes, asserit. Unitas enim, apud Cousinium, absque multiplicitate concipi nequit; neque unitas individua in se permanens, ac non continuo extra se evolvens esse potest. Idem de Deo ac cosmogonia pantheisticas nobis sententias exhibet. Dei enim vita, inquit, est reposita in motu, quo ab uno ad varium transit, et invicem a vario ad unum

redit. Praeterea Deus mundi est causa necessaria, et Ipse ex se in opera sua, totus in se permanens, transit. Nonne igitur pantheismus in mutuo transitu Dei in mundum consistit? Eiusmodi Cousinii pantheismus, eclecticismi gratia renovatus, magis magisque Jouffroy et Damiron, Michelet, Lerminier, Guizot opera fuit evolutus. His de eclecticismo dictis, quod ad Galliae mysticismum attinet, notam item pantheisticam incurrit. Henricus enim a Saint-Simon ejusmodi doctrinas de Deo ac mundo edocebat: Deus unus est, inquiebat, Ipse est omnia, quae reducuntur in Deum. Manifestat autem se dupliciter, spiritus et materiae instar, uti intelligentiam et vim se ostendit. Quare Deus homo est in rebus finitis, amor est Dei similitudine, sub diversa specie, quasi spiritus et materia, intelligentia et vis se evolvit. Eiusmodi doctrina pantheisticas quidem sententias de familia, societate, deque universa religione tenet. Quae omnia Petrus Leroux, Carolus Fourier, ac demum La-Mennais suis scriptis persolverunt, eisque supremam vicem attulerunt. Quod ad rationalismum attinet ulterius non est tempus terendum. Namque si ratio humana cuiuscumque veri est inventrix et arbitra, rationis divinae emanatio est perspicienda; sed uberius de hac re in absurdis pantheismi scholiis agemus. Jam vero si universa philosophiae scientia, paulisper a Catholicis doctrinis recedens, in pantheismum fuit dilapsa, merito ad Petri sedem spectabat, scientiam in sublime attollere, sophismata detegere, remedia opportuna comparare. Hinc Pius IX, praecellens imago in maximo pontificatu, Alloc. Maxima quidem, 9. Junii 1862, anathemate multavit: Nullum supremum etc. uti supra dixi. Nos ergo reverentiae gratia in Petri cathedram, cum Petro veritatem comprobamus. S. Thoma Aquinate tamen passim utemur, qui a Paulo V iure meruit adpellari splendidissimus catholicae Fidei athleta, cuius scriptorum clypeo Ecclesia militans haereticorum tela feliciter elidit. In India qui bene perpendit vetustiora pantheismi monumenta repperit. Ex codicibus enim Vedantibus intelligitur Brahma esse solum, caetera ludibria; Brahma tantum realitatis dote, reliqua phantasmatis specie potiri; Ipsum esse uti araneam aeternam, quae creationis telam e sinu suo continuo educit, et invicem in se reducit; sive uti molem argillaceam, cuius formae sunt singula creata; sive oceanum, cuius fluctus est mundus universus. Dicitur quidem Brahma his evolutionibus Mayam sive materiam, dein Trimourtim ex Vienou et Siva compositum genuisse; Brahma autem copulans se Mayae originem typis duobus Mahabouta, pro spiritibus, ac Pradjopati, pro materia, dedisse dicitur. In Graecia autem, et rectius Sami, Pythagoras pantheismum primus invexit.

Menas enim, aiebat, Diadem gignit, Dias vero ac Menas Triadem creant. Quae doctrina clarius significat unum in multiplex transformari, multiplex autem, nempe universam rerum naturam, divinum unum rescindere. Quae omnia diffusius, popularium Pythagorae ergo, Timei Locrensis atque Ocelli Lucanensis, fuerunt evoluta. Ad hoc schola eleatica ortum habuit, qua Xenophanes floruit, qui e principio De nihilo nihil fit deducebat, nihil posse ab alio produci, omnia unum idemque esse. Accedit autem Parmenides iuxta illud: Quod cogitat atque cogitatur, postea Zeno ac Melissus Samius eadem vindicarunt. Sed cum Alexandriae Ptolomei bibliothecas, studia excolendi causa, instituisent, universa Graecorum scientia iuvenes erudiendos imbut. Igitur Judaei, Gnostici, Neoplatonici suas academias pantheismum olentes condiderunt. Gnostici enim unitarii unum ac primum principium admiserunt, de quo substantia sive spiritualis sive materialis manabat, uti Apelles, Valentinus, Carpocrates, Ephiphanius adseruerunt. Dualistae vero duplicem substantiam opinabantur, de qua cetera fluebant, sed in hoc omnes conveniebant, quod *Βυθός*, primum ens, *Αἰῶνα* gignat, qui cum patre ignoto *Πλήρωμα*, factorem istius mundi visibilis *Δημιουργον* procreet. His rebus quidem Tabula Judaeorum est accensenda, nempe doctrinarum orientalium systema cum illis Sacri Textus intercisis, quae omnia emanatismum vindicant: uti apud De-Gerandum videri potest. Neoplatonismus autem, Plotino, Proclo, Jamblico ac Porphyrio ducibus, docebat unum esse principium finemque cuiusque rei, omnia existentia in re sua esse vel illa exui, uti plus minusve ad unum accedunt; qua ratione Deum, hominem, mundum per Triadem unitatis, intelligentiae animae invicem comparabat. Saeculis vero mediae aetatis, Carolo M. optime de scientiis merito, Scotus Erigena in opere: De divisione naturae pantheismum renovavit. Ipse enim naturam in quatuor genera distribuit. Primum naturam creantem, alterum creatam, tertium creatam quae non creat, quartum nec creantem neque creatam naturam complectitur. Dein universa rerum natura, fluminis instar, quod in rivulos sinusque delabitur, a Dei natura minime differt. Huius systematis populares Amoury de Chartres, Almericus Carnotensis, David de Dinando fuerunt. Saeculo autem XIV Frater Echartus post Scotum Erigenam mysticismum pantheismo valde affinem excoluit. Mysticismus enim est illa philosophandi methodus, quae perfecta rerum cognitionem menti humanae inesse ex quadam mystica, sive arcana eius cum Deo coniunctione adserit. Saecula dein XVI Jordanus Brunus in opere: Della causa, principio ed uno defendit Deum esse omnia sive extantia

sive possibilia, cum omnia in se complectatur; Ipsum esse rerum essentiam causamque: uno verbo rationem divinam in universo manifestari. Saeculo tandem XVII Benedictus Spinoza, cognitionem substantiae ab Ontologia Descartes mutuans, docuit, unam esse substantiam infinitis attributis pollentem, quae se per extensionem et intelligentiam evolvit; unde spiritus et materia proveniunt: nam aliarum substantiarum productio repugnat. His de historia dictis, ad veritatem vindicandam transeamus oportet. Universa pantheistarum doctrina ad unum principium categoricum potest reduci; ad substantiae unitatem, eiusque cum rebus universis identitatem, ad multiplicis et varii, finiti atque infiniti negationem, ut unam et identicam substantiam adstruant, revocari licet. Verum enimvero unitas et identitas substantiae valde rationi opponitur. Sane, secundum pantheismi fautores, omnes homines sunt unum intelligens, et quoniam voluntas intellectum consequitur, sunt unum volens; inde unum est ens intellectu et voluntate praeditum. Intellectiones vero hominumque volitiones sunt diversae, alter enim intelligit quae non ego, ego intelligo quae non alter, hinc patet non posse homines esse unum intelligens et unum volens. S. Thomas, 1^a q. 79. art. V inquit: Intellectus agens est sicut lumen, non autem est idem lumen in diversis illuminatis, ergo non est idem intellectus in diversis hominibus. Veritas huius quaestionis ex his dependet. Si enim intellectus non esset aliquid animae, sed esset quaedam substantia separata, unus esset intellectus omnium hominum. Si vero intellectus sit aliquid animae, ut quaedam virtus ipsius, necesse est dicere, quod sint plures intellectus, secundum pluralitatem animarum, quae multiplicantur secundum multiplicationem hominum. Ad hoc differentiae, quae diversas rerum species constituunt, oppositae inter se sunt, uti extensio et cogitatio. Admissa igitur unica substantia, in hac una diversi modi futuri essent; atqui nihil hoc est absurdus; ergo unica substantia in omnibus, quae intelligat et velit, haud concipi potest. Pantheistae tamen, ad hoc cavendum, asserunt, illud unicum ens indeterminatum et illimitatum esse, sed seipsum circumscribere, cum in qualibet formarum modum vivendi accipiat. Contra illud unicum ens vel realissimum vel idealissimum concipitur. Si primo modo habetur, in singulis formis ratio entis circumscripta ad illud ens concipienda esset: hoc posito, realitas absoluta minueretur, quod certe repugnat, cum unaquaqueque evolutio, hoc ipso, esset entis primi realissimi negatio. Si altero modo putatur, tum idem subiectum immetatum esset ac finibus definitum, quod est contradictorium in uno eodemque subiecto concipere. Hoc enim admissio principio,

Deus non esset negative indeterminatus dicendus, nempe quod eius essentia ab alio non recipitur, sed privative tantum, videlicet cum Deus actu hoc vel illud ens non sit, natura autem ita est comparatus, ut hoc vel illud ens sit. Quo nihil imperfectius in Deo concipi potest. S. Bonaventura inquit: Eiusmodi infinitum privative denotat perfectionis privationem. Et S. Thomas de Ver. q. II docet: Deus dicitur infinitus negative, quia scilicet eius essentia per aliquid non limitatur. Omnis enim forma in aliquo recepta, terminatur iuxta modum recipientis, unde cum Esse divinum non sit in aliquo receptum, quia Ipse est suum esse, secundum hoc Esse suum non est finitum, et pro tanto Eius essentia dicitur infinita. Accedit quod, admissa hac unica substantia, quae in divina substantia consistit, Dei cognitio foedissima fieret. S. Thomas ait: Si Deus est esse omnium, non magis diceretur vere: Lapis est ens, quam Lapis est Deus. Praeterea Deus non esset infinitus, quia vel ex rerum finitimarum collectione exurgeret, vel esset indefinitus, quod sine fine se explicet; et tamen utrumque Infiniti notioni repugnat. Ad rem Fenelon scribit: Non si rinviene nella totalità degli esseri finiti l'immutabilità, l'unità, la perfezione suprema, belle caratteristiche dell' infinito. Imperocchè questo tutto, che ci si vuole spacciare per il vero infinito non è un fantasma nè un essere astratto; ma non è nè altro può essere, fuorchè la collezione delle parti, qui udi se le parti si muovono, il tutto deve egualmente muoversi. Ora un tutto cangiantesi non può mai adeguare l'idea, che abbiamo dell' Infinito. Neque Deus sanctissimus esset, nam omnia facinora, quae in mundo patrantur, essent Deo conscribenda, omnia vitia sacra forent. Saint-Simon hac in re sic loquitur: Il male per l'uomo non lo è già in se stesso, perchè al punto di veduta dell' Infinito tutto è bene, perchè tutto è uno. Demum Deus ex repugnantibus qualitatibus constaret; esset enim extensus et cogitans, corporeus et simplex, finitus et infinitus, perfectus et imperfectus, realis et idealis, atqui nil hoc est absurdus in Deo; ergo non potest unica concipi substantia, e qua universa rerum natura manet. Sed adversarii instant: Si plures substantiae darentur praeter infinitam, quibusdam dotibus ipsae pollerent, quae unicae substantiae deessent: ita Spinoza in definitione substantiae. Sed negatur suppositum. Perfectiones enim duplicis sunt generis. Nonnullae sunt simpliciter simplices, quae iuxta S. Anselmi verba: In unoquoque melius est esse quam non esse, nullum praeseferentes defectum, uti vita, sapientia. Aliae autem qualitates defectum includunt, et dicuntur secundum quid: e. gratia, moveri, ratiocinari. His antehabitis, perfectiones primae

speciei formaliter in Deo continentur, sed secundum sui notionem, non secundum quod creaturis haerent. Ad rem S. Thomas 1^o Sen. d. 11 q. 1^a scribit: Quidquid est entitatis et bonitatis in creaturis, totum est a Creatore; imperfectio autem non est ab Ipso, sed accidit ex parte creaturarum, in quantum sunt ex nihilo. Unde oportet quod nobilitates omnium creaturarum inveniantur in Deo nobilissimo modo, et sine aliqua imperfectioe. Perfectiones vero secundum quid eminenter in Deo continentur, unde Augustinus agebat: Omnia possunt dici de Deo, nihil digne dicitur de Deo. Nihil latius hac inopia. Quaeris congruum nomen, non invenis; quaeris quoquo modo dicere, omnia invenis. Perfectiones ergo creaturarum absoluto modo inveniuntur in Deo, non uno eodemque secundum Pantheistas, neque perfectio aliqua est in creaturis, quae infinita ratione non inveniatur in Deo. Sed ad alterum principium, ad negationem nempe realitatis Universi, gradum facimus. Vedantistae in rebus finitis ludibrium conspiciunt; Eleatae contradictiones, Neoplatonici realitatem ideis tantum adscribunt, quas dicunt in supremo uno inesse; Erigena, Brunus omnia composita realitate orbari adserunt. Demum Germaniae transcendentales Kantiana philosophia exculti, in multiplici, nempe in universo *τὰ φαινόμενα* comperiunt. Hoc vero principium experientiae repugnat. Ex intima enim experientia nil certius est, quam esse in nobis subiectum cogitans, quod persona et conscientia adeo sibi propria pollet, ut alteri communicari nequeat, quin destruat. Si enim meae cogitationes et affectus inter vanas fallacesque illusiones admittantur, illico mea conscientia evanescit; ex experientia igitur edocemur nostrum *τὸ ἐγώ* esse aliquid realiter existens, ab illa unica substantia distinctum. Ad hoc quotidie experimur aliquid existere quod nobis non inhaeret, tamen in nos agit, aliquando sine nobis, quandoque contra nos; ergo alia in universo existunt a nobis distincta. Quod autem haec omnia sint substantiae, patet, quia illud quod in alio est, si substantia non est, agere non potest, nisi per illud quod est, nempe per substantiam. Multiplex igitur et finitum, quoniam agit, realitate pollet, et est ab unica substantia distinctum. Leibnitz enim in opere: De primae philosophiae emendatione et notione substantiae, scribit: La forza operante ed attiva è ad ogni sostanza inerente, di tal che non può stare un momento solo, senza che operi; e ciò è vero sì rapporto alle sostanze dette corporali, come a quelle spirituali. Ma nel mondo èvvi un' infinità di azioni, dunque èvvi ancora un' infinità di sostanze. Hoc autem Kantii principium permulta incurrit incommoda. Et enim secundum Fichte *φαινόμενον* universi oritur ab actu quodam

libero subiecti cogitantis; atqui ignoti nulla cupido; voluntas ergo non potest flecti ad hanc illusionem concipiendam, nisi in ideis intellectus illa universi praecedat. Tantum abest igitur ut actus quidem liber creator repraesentationis mundi visibilis esse possit, ut potius hanc praeerentem exquirat; quare universum non aliquid phaenomenicum sed reale esse infertur. Demum si nostrum ego, mundus exterior, ea quae in nostro animo ac mundo fiunt, phaenomena essent, non minus foeda Dei cognitio exurgeret. Namque cum in illa hypothesi nullum, praeter Deum, sit subiectum cogitans, illusiones illae, non nisi in Deum cadere possunt; Deus ergo perfectissimus illusioni se subiceret, quo nihil absurdus. His praemissis, ita argumentum conficimus: Si finitum, multiplex, universa rerum natura realiter sunt; certe non una est substantia, sed quot in universo conspiciuntur. Neque vero dicendum est, quod notio entis simpliciter Deo plenissime conveniat, ideo Deus unica substantia, cetera sint illusiones; nam S. Thomas 1^o Sen. dis. 8. docet: Aliquid potest dici proprium alicui, vel quia ipsi ita convenit, ut nulli alii subiecto convenire possit (ut cum dicitur proprium hominis esse risibile, quia nulli alii extraneo a natura humana convenit), vel quia illud, quod de subiecto praedicatur, et si aliis subiectis quoque conveniat, tamen eo modo, quo ipsi convenit, nulli alii subiecto convenit (ut cum dicitur hoc proprium esse aurum, quia non habet admixtionem alterius metalli). Jam vero de substantia Dei idem ac de Esse eius dicendum est; nam quemadmodum Esse est proprium Dei, non quod res creatae non sint entia, sed eo quod esse illo modo, quo est in Deo, nulli creatae naturae convenit; ita Deus propria substantia dicitur, non quod res creata non sit substantia, sed quia cum nihil aliud recipiat productionem substantiae, secundum quod dicitur de Ipso, ideo propter diversum modum praedicandi, non dicitur substantia de Deo et creaturis univoce sed analogice. Sed videamus quidem corollaria, quae e pantheismo consequuntur. Hoc systema tendit ad scepticismum; si enim facta invincibili conscientia inter fallaces illusiones adscribuntur; si universus totus, cuius realitas negari nequit, inter phaenomena adnumeratur, humana mens de suis viribus merito diffidens, in scepticismum labitur. Pantheismus autem ad fanaticum ducit. Ratio enim humana juxta Pantheistas, est sublimior illius unicae substantiae evolutio, adeo ut illi vitam, intelligentiam, libertatem assignet; nempe in rerum natura homo est Deus, perque hominem Deus suam vitam vivit. Hinc illud Michelet saepius a novatoribus repetitum: Il pensiero divino altro non è, che l'idea del popolo. Hinc Vincentius Gioberti (genti, modi e culto) merito inferebat:

Da Lutero fino ai di nostri, la deificazione dell' uomo fu l' oggetto finale di ogni innovazione filosofica e religiosa. Come Amedeo Fichte tutti rinnovarono in modo spesso senza saperlo, l' antica suggestione del serpente: *Eristis sicut Dii. Ducit tertio ad rationalismum.* Si omnia sunt unius *Idea*e evolutiones, quae praesertim per humanam rationem evolvitur, deducitur, quod omnia, quae rationis ordinem praetergrediantur, tamquam *ἀδύνατον* sint traducenda; ideo aut mysteria dogmata prorsus sint deneganda, aut iuxta rationis vires explicanda. Baruch Spinoza in Sacris Bibliis nihil agnovit, quod vires humanae rationis praetergrederetur, et si quid supra repperit, in numero mythorum recensuit. Amadeus Fichte sociique de Trinitatis mysterio colloquentes aiebant, Absolutum in abstracto esse Patrem, in concreto Filium, qui suimet conscientiam habens dat S. Sanctum. De Incarnatione vero inquiebant, comparitionem Absoluti idealis in humanitate Incarnationem esse. Hegel autem docebat: Il fatto invisibile del processo eterno della vita divina, la quale penetrando nel finito resta ivi ancora finita. Nonne haec omnia de mysteriis ac veris supernaturalibus comprobant pantheismum ad rationalismum ducere? Pantheistae autem ad atheismum viam sternunt. Sane Deus ad suam existentiam necessario requirit, quod sit perfectissimus non contradictorius, neque aliquid abstractum vitam recipiens ab evolutionibus Universi, atqui id pantheistae adfirmant, ergo per eos idea contradictoria Dei existentiam denegat, atque atheismum profitetur. Pantheismus quidem animarum immortalitatem negat. Fautores enim Hegelii et Schellingii arbitrantur, ita animas ab unica substantia absorptum iri, ut suam existentiam amittant. Fourieristae, Sansimoniani metempsychosin defendunt, quae certe methodus animae immortalitati opponitur. Pantheistae etiam libertatem humanam diruunt. Omnia enim ex fatali necessitate eveniunt, omnia necessario evolvuntur; nullum ergo discrimen adest inter vitium et virtutem, bonum et malum, cum omnia ad unum reducantur. En verba Maret, Saggio sul Panteismo: Ti raccheta pure, o uomo agitato dai rimorsi, tutto è necessario, perchè accusarti? Accusa in cambio il concorso delle cagioni, confessa non aver tu fatto altro che obbedire alla tua natura. Innanzi allo spettacolo di tutti gli errori, delitti e scelleratezze, il panteista ripeterà: tutto é buono, perché tutto è Dio. Amara derisione, assurda e desolante dottrina, che il sollievo del pianto nega all' infelice ed il rimorso al delitto. Quod si ita se res habet, praestat thesim conficere cum illa Pii IX quaerimonia contra hujusmodi errorem: Quo nihil dementius, nihil magis impium, nihil contra ipsam rationem repugnantius excogitari unquam potest.

De Germaniae pantheismo.

Nondum dies aderat, qua pantheismus historiam, scientiam, literas, artes moderaretur. Sed Germania primum specimen huius defectionis a vero futura erat. Gallia enim licet infecta doctrinis pantheisticis, abhorrebat tamen a tot tantisque erroribus vindicandis; sed in Italia benigno vultu Germaniae doctrinae fuerunt exceptae. Namque academiae, gymnasia, theatra pantheismum redolent, uti qui humanitatis progressui atque cultui respondeat. Igitur, ut omnia de pantheismo sint completa, Germaniae systemata aggrediar. Sane Ancillon, saggio di filosofia, fuit opinatus Germaniae transcendentales, doctrinis Kantianis imbutos, plus aequo illas evolvisse; igitur abs re non erit inceptum a Kantio aggredi. Emanuel Kantius duo in humana cognitione animadvertit: subiectum enim et obiectum. Primum est forma nostrarum cognitionum, alterum est materia. Obiectum nobis solum intuitiones phaenomenicas exhibet, subiectum vero per suas notiones, illis intuitionibus vitam, proprietates unitatis, necessitatis, universitatis tribuit. Hinc in nostris cognitionibus aliquid entitatis esse debet, mens tamen introspicere tantum phaenomena debet, quippe cognitionis alae ad animum sublevandum extra facta haud sufficiunt. Quod si cognitio id audere velit, in suo animo quasdam ideas absolutas repperit, uti Dei, universi, spiritus, quae nostram cognitionem moderantur. Ex quibus facillime desumitur, obiectum comparari pro subiecti arbitrio, ipsum quoque causas et substantias omnes creare. Amadeus Fichte ita de suo $\epsilon\gamma\acute{o}$ loquitur: Subiectum cogitans tantum existit, quod fons et origo cuiusque realitatis existit; unde sola propositio evidentiae immediatae enunciatur: $T\acute{o}\ \epsilon\gamma\acute{o}$ par $\tau\acute{o}\ \epsilon\gamma\acute{o}$. Ad cognitionem vero $\tau\acute{o}\ \epsilon\gamma\acute{o}$ oportet, ut animus ab omnibus rebus circumstantibus abstrahat. In hac abstractione intuemur $\tau\acute{o}\ \epsilon\gamma\acute{o}$, quod nondum absolute est ac realitate pollet, sed in cognitione oportet obiectum cogitatum cum subiecto cogitante identificari. In hac identitate $\tau\acute{o}\ \epsilon\gamma\acute{o}$ se constituit originem cuiuscumque rei. En primigenius actus $\tau\acute{o}\ \epsilon\gamma\acute{o}$ puri, ex quo consequitur evolutio universi, seu $\tau\acute{o}\ \epsilon\gamma\acute{o}$ non puri; quae quidem evolutio inter phaenomena tantum est collocanda. Fridericus Schelling contra omnem realitatem subiecto denegavit, et unam existentiam, aeternam, immutabilem esse admisit, in qua purum verum consistit. Ad cognitionem huius absolutae existentiae oportet, ut homo ad omnia indifferens actum purum liberumque eliciat, minime tamen conscientiae testimonio obnoxium, quo existentiam absolutam intuetur, quae est Deus, principium unitatis ac beatitudinis. Quod si imperfecte Deus videatur deficientia intuitus, id evenit, quia homo nondum a rebus

circumstantibus est omnino abstractus. In hac intuitione cognitio idem est cum existentia. Nam cum esse absolutum sit unitas perfecta, et necessario manifestandum, opus est ut alii consocietur, nempe humanae cognitioni. Per hanc identitatem esse absolutum proprietates multiplicis et varii induit. Hegel demum, per suum idealismum transcendentalem docuit unum esse ens cum cogitatione identicum, quod est neque subiectum neque obiectum, sed cogitatio seu Idea, vel proprius Idea-Ens, quae quidem in se est absoluta et indeterminata, sed definitur in suis evolutionibus. Haec Idea-Ens, inquit, duplici attributo ornatur, extensione et cogitatione, per quae attributa est item spiritus et materia, esse et Idea, Deus et mundus, iuxta illud: Quidquid est ideale est reale, et quidquid reale est ideale. Momenta vero ad has evolutiones complendas triplicia assignat. In primis esse induit se qualitatibus abstractis, et erit epocha logica; dein in mundo apparet, et erit natura, postea evolutiones prosequitur, et erit spiritus. Ad eiusmodi esse intuendum oportet abstrahi ab extensione et cogitatione, primam reducendo ad invisibile punctum, secundam ad notionem indistinctam. His expositis, ad veritatem transeamus oportet. Omnibus Germaniae pantheistis est illud Neoplatonicorum principium, ideas nostras a rebus non distingui, et subjectum cogitans atque obiectum cogitatum unum idemque esse. Nos falsitatem huius principii cum S. Thoma comprobamus. Ipse enim (con. gen. lib. IV c. II) ita argumentatur. Intellectio in primis non est eadem cum re intellecta, quia mens non solum intelligit rem, sed per facultatem in seipsam redeundi qua pollet, intelligit intellectionem rei, ex quo fit, ut non solum scientiae rerum existant, sed etiam scientia cognitionis rerum confici possit. Secundo intellectio distinguitur ab intellectu, sive a subjecto cognoscente, quia si intellectus idem esset cum intellectione, ipse nunquam in potentia, sed semper in actu foret. Hoc est semper cognosceret quidquid cognoscit, neque unquam novas cognitiones acquireret, quod certe absonum. Tertio intellectus a re intellecta discriminatur, quippe quod res intellecta est principium, per quod eam anima intelligit. Quare Balmes (Filosofia fundamentale) scribebat: Haec distinctio inter subiectum et rem cognitam apparet, cum mens seipsam suasque actiones cognoscat; ipsa enim se diversa ratione affectam cognoscit, et se, tamquam obiectum cognitum, sibi tamquam subiecto cognoscentis opponit. Sed ad Fichte gradum specialem facimus. Hic etsi sibi magis constare videatur, tamen non minora incommoda offendit. Principium τὸ ἐγώ purum, ex cuius actione libera omnia creari obiecta commemorat, monstruosa quaedam est

chimaera. Revera mens nostra, ope universae abstractionis ad *ἐγώ* puri conceptionem ascendit; atqui abstractio sine subiecto non potest confici, quod illam conficiat, et obiectum circa quod versetur; ergo puri *τοῦ ἐγώ* conceptio oriri non potest, nisi subiecti et obiecti realitas praestituatur. Atqui, iuxta Fichte, haec sunt amovenda; ergo intuitio *τοῦ ἐγώ* oriri nequit ex animi abstractione. Ad hoc actus libere volendi exoriri nequit sine aliquo praevio obiecto, in quod voluntas feratur; ergo tantum abest, ut liber actus voluntatis sit repraesentationum causa, ut sine aliqua praevia repraesentatione exerceri nequeat. Hoc principium ad idealismum tendit; nam realis existentia totius universi penitus denegatur, contra illud quod experientia edocet; atqui hoc idealismum dicit, ergo, posita reali existentia rerum, ponitur cognitio. Ad scepticismum inclinatur. Licet enim in egoismo absoluto, ego sit unica realitas, fons cuiuscumque rei, concluditur tamen spiritum non esse neque me esse *τὸ ἐγώ*; atqui subiecti cogitantis denegata realitate, omnis pessumdatur scientia, ergo hoc systema in scepticismum labitur. Quod ad Schelling attinet: intellectualis illa intuitio, qua ad absolutum contemplandum assurgimus, conscientiae testimonio minime subiicitur; atqui cognitio, quae conscientiae testimonio non subest, neque detegi neque existere potest, ergo commentitia est eiusmodi Absoluti intuitio. Iuxta Schelling, absolutum est ens a concretis rebus penitus abstractum, tamen fons et origo totius realitatis; ergo confundit ordinem realem cum ideali, abstractum cum concreto; eo magis quod absolutum id genus est Deus; ergo Deus esset idealissimus et concretissimus, quo nihil deterius. Schelling autem statuit Ens absolutum necessario manifestandum, alioquin personalitate careret; Universum ergo inferendum est Deo vitam, personam et existentiam tribuere. Philosophandi ordinem perverit; non enim a Deo ad res creatas descendimus, sed potius a rebus creatis ad Deum assurgimus. Contra autem Hegelium: Idea absoluta principium est cuiuscumque cognitionis; atqui idea non potest haberi, nisi obiectum aliquod spectet, cum ipsa sit repraesentatio alicuius rei; ergo Idea absoluta non potest esse principium totius cognitionis. Ad hoc Idea-Ens pollet et extensione et cogitatione, per quae attributa seipsum evolvit; atqui haec attributa seipsa destruunt, cum aliquod extensum non possit cogitare, et vicissim aliquod cogitans non possit esse extensum; ergo haec idea est aliquod contradictorium; eo magis quod eiusmodi Idea-Ens sit Deus; ergo non solum Deus esset aliquod contradictorium, sed etiam ex rerum finitimarum collectione exurgeret: quod, iuxta Fenelon, est absurdissimum. Demum

ordinem idealem cum reali confundit: quippe aliud est idea, aliud realitas; si unum idemque sunt, nullum esset discrimen inter subiectum cogitans et rem cogitatam. His de singulis expositis, oportet ut Dei notionem iuxta hos philosophos praebeamus. Penes Fichte: Deus est τὸ ἐγὼ purum, quod seipsum creat, et quod vice quadam suam praelectionem fuit exorsus: ita enim loquitur: De Creatione Dei. Deus autem, Fichte inquit, est nostrae mentis ludibrium; ἐγὼ purum enim et non purum sunt quaedam phaenomena. Penes Schelling: Deus est aliquid potentiale se continuo evolvens, ut ad actum perveniat; unde illa blasphemia: Gott ist im Werden: Deus est in fieri. Alibi enim dixit: Deum esse privationem absolutam, seu merum nihil; quare Oken Deum magnum nihil appellavit. Penes Hegel: Absolutum, aut Idea-Ens est aliquod privative indeterminatum; Deus ergo esset aliquod imperfectum, nam privatio imperfectionem designat; quapropter conclusit Ideam Ens esse nihil; ergo Deus esset ens non ens. Si Idea-Ens est nihil, Deus ideo esset nihil, hinc Wilmius monuit Deum oriri ab actione vacui super vacuum et nihili super nihilum. Attamen, docente Barchov de Penohen (Storia della Filosofia tedesca) Germaniae pantheistae sua systemata coaptarunt religioni, politicae, scientiis, artibus; proinde operae pretium est comprobare, utrum pantheismus humano progressui respondeat. Ipsi enim dicunt primaevam hominis religionem esse feticismum, dein Brahmissimum, postea Parsismum, dein Aegyptiorum cultum, Judaismum, postremo Christianismum, quem volunt sublimiorem actum spiritus in re theologica; quia revelatio non fuit actus longinqui Dei, sed per dogmata Trinitatis, Incarnationis, Deus nobis valde appropinquavit. His enim positus, ita argumenta praebeamus. Iuxta Germaniae pantheistas, Christianismus est valde hominum progressui accomodatus, quippe revelatio absoluti est diuturna ac continua; atqui christianismus perfectissime pantheismo adversatur. Quis enim denegabit christianismum emanatismo atque pantheismo opponi? Quis enim dicet Pentateucum, Prophetas, hagiographos, postremo Novum testamentum suspicionem ullam pantheismi praeberere? Si enim idem est Deus in Lege, in Prophetis, in novo Foedere, nos pro omnibus illud Geneseos afferemus: In principio creavit Deus caelum et terram: hebraico idiomate: Bereschit barà Elohim et haschamajim weet haarez; in quo testimonio Deus omnino distinguitur a sua creatura, neque eiusdem substantiae hominem esse emanationem comprobatur. Id quidem strenue antiqua Synagoga atque historia Josephi comprobavit; id quidem Joannes in suo evangelio est testatus: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;

hoc erat in principio, omnia per ipsum facta sunt: graece ἐποίησε, creata sunt. Ergo si Christianismus hominum cultui respondet, sequitur pantheismus non esse comparatum ad homines excolendos. Ad hoc si pantheismus societati aptetur, non minora obstacula offendit. Difficillimum est enim pantheistis libertatem cum auctoritate, iure atque officiis componere; et ipse Leroux difficultatem huius problematis confitetur. Nam si omnia sunt Absoluti evolutiones, plus minusve se manifestantis; quoniam in re publica magis id genus evolutiones habentur, necesse erit civem absorptum iri a statu, atque hinc iura immetata manare, ideoque illas utopias renovari, quae saeculo XVIII societatem pessumdederunt, et sanguine conspersere. Haec omnia possunt in Sansimonismo civili videri, atque in doctrinis politicis Hegel, uti docet Lerminier; societas ergo, positis Germaniae pantheistarum doctrinis, dirueretur. Si autem pantheismus eiusmodi scientiis aptetur, maximum detrimentum humano progressui affert. Si enim scientia est pernobilis absoluti evolutio, sequitur scientiae dogmata esse divina, omniaque quae sunt supra scientiam vel illi contradicunt, omnino esse deneganda. Igitur inverecundus Strauss mysticismus, rationalismus novatorum immoderatur, erit honore afficiendus, quo nihil absurdius atque deterius. Adde quod pantheistae veritatis progressum profitentur, adeo ut quod hodie verum, cras sit falsum, quod hodie falsum, cras verum: quod idem est ac scientiae omne certitudinis criterium auferre, neque principia quaedam immutabilia constituere; atqui hoc scepticismum indicat; ergo pantheismus in doctrinis scientificis ad scepticismum tendit. Si demum pantheismus artes excolat, malum deterrimum proveniet. Ars enim, pantheistarum sententia, est divina manifestatio; artifex enimvero in opere condendo a superis illustratur; proinde ars, dummodo vivis coloribus ideam praeconceptam significet, omnem modum excedit, nulli mensurae subiicitur, ideoque imago, licet foedissima, vivide ideam spectans, erit sacra. Quae inverecundia! Nunc patet qua de causa imagines turpissimae solemniter circumferantur ac benigno visu excipiantur. Quae cum ita se habeant, transcendentales complementum iurium, scientiam autonomam, religionem universitariam somniati fuerunt; putarunt quidem artes, veluti sol tenebras longissime vincit, sic esse efferendas. Fourieristae quidem maxima nobis fuerunt auspicati. Nos autem cum mala pessima Galliae sansimonismi, Strauss mythismi periclitati fuerimus, philosophiam thomisticam vindicamus, proinde religionis tuta principia tuemur.

Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. Maxima quidem, 9. Junii 1862.

Omnes veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cuiuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. encycl.: Qui pluribus, 9. Novembris 1846.

Epist. encycl.: Singularem quidem, 17. Martii 1856.

Alloc. Maxima quidem, 9. Junii 1862.

Ante omnia, ab historia huius rei ordiamur oportet. Protagoras Abderites enim asserebat, iuxta Heracliti doctrinam, quod nihil staret, sed omnia, fluminis instar, profluerent, nulla esset immobilis essentia, nulla absoluta et universalis veritas, sed tantum relativa, omnis scientia comprehensio naturae immutabilis non esset, sed sensus ex motu corporum exortus, ideoque cuiusque hominis sensus aut opinio unica omnis veritatis regula est. Haec quidem opinio, quod veritas non ab intellectu divino, sed humano procederet, a Democrito etiam et Epicuro habita fuit; qui edocebant omnem scientiam ex atomis temere vagantibus procedere. Hobbes etiam in eandem concessit sententiam, quippe dixit, originem omnium cogitationum esse sensum, nullam animi conceptionem, quae non fuerit ante genita in sensu vel tota simul vel per partes; imaginationem, intellectum, reminiscentiam, et prudentiam, quod ad rationem spectat, esse computationem sive additionem et subtractionem nominum generalium, quae ad significationem nostrarum conceptionum recipiuntur. Cartesius ad rem aiebat: Si hoc ita est, ratiocinatio a nominibus procedet, nomina ab imaginatione, et imaginatio ab organorum motu. Mens ideo nil aliud erat, nisi motus in quibusdam partibus corporis; ex quibus patet omnem veritatem desumi a sensu et ratione, nullo Dei respectu habito. Ad hanc sententiam accessit auctor historiae naturalis, dicens omnem veram cognitionem esse sensum, omnem scientiam esse experientiam, ideas abstractas principia cognitionis non esse, neque in illis quidquam reponi, praeter templum errori sacrum. Demum Cartesius non omnem absolutam veritatem denegavit, tamen omnia vera a Dei arbitrio manare asseruit. His ita de historia praestitutis, ordo quaerit ut a definitione incipiamus. Cum Augustino veritas definiri potest, qua ostenditur id quod est; cum Hilario: verum est declarationem aut manifestationem esse; item cum Augustino: veritas est summa similitudo principii, quae sine ulla dissimilitudine est; cum Anselmo:

veritas est rectitudo sola mente perceptibilis; cum Avicenna: veritas cuiusque rei est proprietas sui esse, quod stabilitum est ei; demum cum Boetio: veritas est adaequatio rei et intellectus. Ex quibus definitionibus patet veritatem in hoc consistere, nempe in intellectu, secundum quod apprehendit rem ut est, et in re, secundum quod habet esse conformabile intellectui. Aquinas aiebat (q. XVI art 1^o): Cum verum sit in intellectu, secundum quod conformatur rei intellectae, necesse est quod ratio veri ab intellectu ad rem intellectam derivetur, ut res etiam intellecta vera dicatur, secundum quod habet aliquem ordinem ad intellectum. Aquinas autem aiebat hoc maxime inveniri in Deo (q. XVI art. V): Esse eius non solum est conforme suo intellectui, sed etiam est ipsum suum intelligere, et suum intelligere est mensura et causa omnis alterius esse, et omnis alterius intellectus, et ipse est suum esse et intelligere. Unde sequitur quod non solum in ipso sit veritas, sed quod ipse sit summa et mensura omnium veritatum. Adde, si veritas est secundum quod res habet ordinem ad intellectum, sequitur quod unaquaeque res vera absolute dicatur, secundum ordinem ad intellectum, a quo dependet. Aquinas, q. XVI art. 1^o, aiebat: Res intellecta ad intellectum aliquem potest ordinem habere vel per se vel per accidens. Per se quidem habet ordinem ad intellectum, a quo dependet secundum suum esse; per accidens autem ad intellectum, a quo cognoscibilis est; sicut si dicamus, quod domus comparatur ad intellectum artificis per se, per accidens autem comparatur ad intellectum alterius a quo non dependet. Iudicium autem de re, non sumitur secundum id, quod inest ei per se; unde unaquaeque res dicitur vera absolute, secundum ordinem ad intellectum a quo dependet; atqui res naturales dependent ab intellectu divino, secundum quod assequuntur similitudinem specierum, quae sunt in mente divina; dicitur enim verus lapis, qui assequitur propriam lapidis naturam, secundum praeconceptionem intellectus divini, ergo intellectus divinus est mensura cuiuscumque veritatis. Accedit, quod unumquodque in quantum habet de esse, tantum est cognoscibile. Aquinas, ibidem art. III ad 2., Non ens, licet non habet in se unde cognoscatur, tamen cognoscitur, in quantum intellectus facit illud cognoscibile; unde verum fundatur in ente, in quantum non ens est quoddam ens rationis, apprehensum scilicet a ratione. Omnia enim suum esse a Deo participant per creationem; ergo et a Deo quidem suam participant veritatem, ideoque Deus est causa et mensura cuiusque veritatis. Aquinas ad rem, ibidem art. VI: Cum veritas per prius sit in intellectu, et posterius in rebus, secundum quod

ordinantur ad intellectum divinum, hinc si loquamur de veritate prout est in intellectu, secundum propriam rationem, in multis intellectibus creatis sunt multae veritates. Si vero loquamur de veritate, secundum quod est in rebus, sic omnes sunt verae una prima veritate, cui unumquodque assimilatur secundum suam veritatem. Et sic licet plures sint essentiae vel formae rerum, tamen una et veritas divini intellectus, secundum quam omnes res denominantur verae. Adde, veritatis proprietates luculenter vindicant Deum esse mensuram et causam veri. Veritas enim concipitur ut infinita, idque vel sola geometria, quae circa figuras et abstractos extensionis modos occupatur, satis declarat. Infinitae quippe figurarum sunt species, et infinitae cuiuslibet figurae proprietates et figurarum inter se rationes. Ad hoc veritas est aeterna. Quis enim sibi persuadebit, ante Euclidem, Archimedem ceterosque geometras, propositiones, quarum veritatem detexerunt, veras non fuisse, aut fuisse ad veritatem vel falsitatem indifferentes? Igitur erant verae, antequam detegerentur, neque tempus ullum concipi potest, quo figurae geometricae, triangulum exempli gratia, certam formam non haberent, vel ratio certa non esset inter trianguli latera, quae cum omni tempore exstiterit et demonstrari potuerit, a geometris non creata sed detecta fuit. Veritas est res universalis. Essentiae enim rerum earumque rationes, etiamsi in mentibus existant, haud tamen ullo modo commutantur, sed in omnibus unius modi eiusdemque generis sunt. Quemadmodum unum eundemque vultum infinita specula referunt, unius solis imaginem innumeri oculi simul conspiciunt, unam eandemque vocem mille aures audiunt; ita infinita mentium multitudo unam eandemque audit vocem sempiterni verbi, easdem rerum immutabiles formas videt, eadem aeterna luce illustratur, cuius radii in mundum universum spiritualem, non secus ac solares in totum orbem corporeum, diffunduntur. Veritas est res necessaria et immutabilis, scilicet perpetuo et constanter eadem, quae sicut nunquam esse coepit, ita nunquam esse aut eodem modo esse desinit. Fac omnes geometrae pereant, non idcirco geometricae rationes peribunt; universus mundus evanescat, et omnes quae in eo sunt intelligentiae occidant; impossibile tamen erit, rationes, quae nunc ab illis intelligentiis clare et evidenter percipiuntur, salvae incolumesque non permaneant. Nullum igitur dubium, quin veritatem concipiamus, ut quid aeternum, infinitum, universale, necessarium et immutabile. Ex his autem patet veritatem his dotibus praeditam, esse modum mentis necessariae, immutabilis et aeternae, ideoque in Deo consistere. Nam quidquid reale et positivum est, vel substantia

vel substantiae est modus; ergo veritas infinita, immutabilis, aeterna, necessaria vel substantia vel alicuius substantiae modus esse debet. Haec autem substantia, quaecumque est, pariter infinita, immutabilis, aeterna, necessaria sit oportet, eiusdem nempe generis, cuius est veritas, quae in ipsa innititur. Verum repugnat omnino, quod substantia finita, contingens, particularis, mutabilis sit fundamentum modi infiniti, aeterni, immutabilis, necessarii; et enim nullo modo potest aeternum in temporaneo inniti, infinitum in finito, universale in particulari, necessarium in contingente; proinde Deus solus est unica veri mensura. Ad hoc si praedictae veritates essent substantiae finitae, contingentes, mutabiles, earumque modi; posita ipsarum destructione, veritates quoque periturae essent. Extincta enim luce pereunt colores; destructo corpore, motus interit. Sed veritas nulla ratione interire potest; veritas ergo mentem infinitam supponit, suisque mensuram causamque. Praeterea omnis res est vera, quia habet formam propriam naturae suae; ideoque intellectus, in quantum est cognoscens, dicitur verus, secundum quod per similitudinem rei cognitae, iudicat de conformitate rei ad propriam naturam et formam. Res autem habent proprias formas ab aeternis archetypis atque divinis exemplaribus, quae in rerum creatione ad actum reducuntur; ergo intellectus apprehendit veritatem, quando res intellectui divino comparat, in quo rerum exemplaria continentur; idcirco intellectus divinus est, a quo veritates procedunt. Veritas dein in rerum essentiis innititur, hinc ad absolute illam cognoscendam, oportet inquirere non quod rei sit accidentale, sed quod essenziale. Jam vero S. Thomas, de verit. qq. dis. IV, docet: Veritas quae dicitur de rebus in comparatione ad intellectum humanum, est rebus quodammodo accidentale; quia posito, quod intellectus humanus non esset, nec esse posset, adhuc res in sua essentia permanerent; sed veritas, quae dicitur de eis in comparatione ad intellectum divinum, eis inseparabiliter communicatur. Non enim subsistere possunt, nisi per intellectum divinum eas in esse producentem; ergo intellectus humanus tunc verum apprehendit, secundum quod iudicat de rebus intellectui divino respondentibus. Per prius enim inest rei veritas per comparationem ad intellectum divinum quam humanum; cum ad intellectum divinum comparetur quasi ad causam, ad humanum autem, quasi ad effectum, in quantum intellectus a rebus scientiam accipit. Hanc quidem doctrinam luculenter Taparellius expressit: Chi mi assicura che i miei giudizi intorno all'ordine, siano conformi ai giudizi del supremo Fattore? Me ne assicura la natura stessa del mio intelletto; imperocché che cosa è

intelletto? è la naturale tendenza al vero, ogni intelletto dunque ha una direzione conforme, giacchè uno è il vero, dunque la direzione del mio intelletto è conforme a quella dell' intelletto divino; altrimenti il mio intelletto, tendenza al vero, tenderebbe al non vero, il che sarebbe contraddittorio. Potrà dunque traviare il mio, perchè limitato, ma per natura egli è unisono col divino, nè può non essere senza snaturarsi. Legittima è dunque la illazione, con cui dalle mie nozioni ragionevoli inferisco i decreti divini, e ripugna che l' Autore dell' universo abbia voluto ciò, in che io conosco disordine. Intellectus ergo noster in veri acquisitione intellectui divino est conformandus. Neque dicere valet, quod, absque Dei notione, nonnulla sunt vera, quae semper in sui notione consistunt; uti ratio circuli et quadrati. Deus enim efficere nequit circulum esse quadratum vel contra. Sed adversarios fallit; hoc enim probat rerum essentias a Dei voluntate non pendēre, non iam habere esse independenter a Deo. Taparellius ad rem, nota XXVII, inquit: Per poco che io vi rifletta, trovo che l'essere del quadrato dipende necessariamente dall' essere divino. Infatti quando io dico: il quadrato è non rotondo, attribuisco al quadrato un essere, ed essere finito, perchè escludo il rotondo, che è pur anche esso un essere. Or l'essere finito è quello che partecipa dell' essere assoluto; dunque il quadrato partecipa l'essere infinito, però dipende da lui, come ogni derivato dipende dal principio, da cui deriva Quindi se si pretende, che il quadrato, pur quanto Dio non esistesse, avrebbe da sè un principio di essere, per cui ripugnerebbe al rotondo, questo è un ammettere, oltre a Dio, qualche altro Essere eterno e necessario; dippiù è un realizzare delle astrazioni di nostra mente; giacchè, come nota il Sig. Galluppi, che cosa è mai possibilità interna, impossibilità interna, necessita interna, se non il potere, l'impotenza, la necessità, in cui una mente si trova di congiungere certi termini? Son dunque astrazioni della mente codeste, e se voi supponete per un momento, che niuna mente esista, cesserà ogni potenza, ogni impotenza, ogni necessita. Ma siccome ripugna che cessi di esistere la Mente infinita, perciò ripugna che cessi di esistere in essa la interna possibilità delle cose. Dal che si vede non solamente, che tutte le verità necessarie dipendono da Dio, ma anche in qual modo esse ne dipendono. Si vede cio è prima che l'essere delle verità necessarie dipende dall' Essere divino, da cui partecipano l'essere loro limitato; secondo che la loro attualità eterna dipende dall' Intelligenza divina, in cui ab aeterno sussistono. Cum vero huc pervenerimus, placet nonnulla sub-

jungere de modo, quo nostra mens se habet quoad veri notitiam. S. Thomas brevi omnia complectitur: Sciendum quod res aliter comparatur ad intellectum praeicum, aliter ad speculationem. Intellectus enim praeicus causat res, unde est mensuratio rerum, quae per ipsum fiunt; sed intellectus speculativus, quia accipit a rebus, est quodammodo motus ab ipsis rebus, et ita res mensurant ipsum. Ex quo patet, quod res naturales, ex quibus intellectus noster scientiam accipit, mensurant intellectum nostrum, sed mensurantur ab intellectu divino, in quo sunt omnia creata, sicut omnia artificata in intellectu artificis. Sic ergo intellectus divinus est mensurans non mensuratus, res autem naturalis mensurans et mensurata, sed intellectus noster est mensuratus, non mensurans quidem res naturales, sed artificiales tantum. His demonstratis, consequitur, si Deus est veri falsique mensura, esse quidem boni et mali arbitrum; nam bonum a vero vim habet uti malum a falso; consequitur quidem rationem non esse sibi ipsi legem, et sufficere suis naturalibus viribus ad bonum hominum curandum; etenim ratio a Deo legem accipit, cum lex aliquid veritatis sit, eamque hominibus applicat. Sed praestat pauca de absurdis consequentiis huius systematis persequi. Haec enim thesis ponit res non procedere ab aliquo intellectu per creationem, sed tantum a casu; qua doctrina nihil absurdius. Aquinas scribebat: antiqui philosophi species rerum naturalium non ducebant procedere ab aliquo intellectu, sed eas provenire a casu. Et quia considerabant, quod verum importat comparisonem ad intellectum, cogebantur veritatem rerum constituere in ordine ad intellectum nostrum. Qua de re ratio non est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cuiuscumque generis veritatum assequi possit. Adde hoc systema ducit ad omnia absurda cohonestanda. Si enim iuxta Protagoram: Quod alicui videtur est verum; procul dubio sequitur errorem et quaeque alia absurda sub quadam veri ratione a suis cultoribus comprehendere; igitur omnia absurda et contradictoria cuiusque generis essent vera. Praeterea idealismum novatores vindicant. Etenim si veritas rerum, secundum quod habent ordinem ad intellectum divinum, illarum existentiam nobis patefacit; quia, iuxta S. Thomam, unumquodque in quantum habet de esse, in tantum est cognoscibile; sequitur, si rerum veritas tantum in nostra mente esset, et rerum quoque existentia futura esset: quod certe idealismum dicit. Hoc systema quidem ad sensismum descendit. Si enim, iuxta Heracliti doctrinam, omnia continuo fluxu agitantur, et sensus solus has perennes rerum vicissitudines comprehendit, ideo cognitionis criterium est cuiuscumque sensus; et ex historia

intelligimus omnes praefatos philosophos in sensismum devenisse. Quare in nostram veram sententiam concesserunt philosophi, qui in antiquis sapientium nomen meruerunt; uti Plato, cuius mentem sic expressit Cicero: Essentias Plato negat gigni, sed semper esse, et ratione et intelligentia contineri. Aristoteles quidem hoc idem docuit: Formam seu speciem rei nemo facit, nec ea generatur ullo modo. Demum Tullius de legibus loquens idem vindicavit. Ad rem Augustinus aiebat: Omne verum ab illo est, qui ait: Ego sum veritas Quisque bonus verusque Christianus, Domini sui esse intelligat, ubicumque invenerit, veritatem. S. Anselmus, Dialogus de veritate, Magister: An putas aliquid esse aliquando aut alicubi, quod non sit in summa veritate, et quod inde non accesserit, quod est in quantum est, aut quod possit aliud esse, quam quod ibi est? — Discipulus: Non est putandum. — Magister: Quidquid igitur vere est, in quantum hoc est, quod ibi est. — Discipulus: Absolute concludere potes, quia omne quod est, vere est, quoniam non est aliud, quam ibi est. — Magister: Est igitur veritas in omnibus, quae sunt essentia, quia hac sunt, quia in summa veritate sunt. Igitur et nos quidem cum syllabo Pii IX concludimus rationem non esse unicum veri et falsi boni et mali arbitrum, neque esse principem normam cognitionis omnium cuiusque generis veritatum.

Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. Maxima quidem, 9. Junii 1862.

Uti nobis mos est, huius tractatus ordinem ab historia incipiamus oportet. Hylozoitae, uti Thales, Anaximenes, Anaximander, contendebant materiam mundi esse aeternam, atque ingenita vi pollere, qua omnis varietas rerum mundanarum est effecta. Atomici vero, uti Democritus, Epicurus, Leucippes, senserunt particulas materiae semper extitisse, et ex illarum fortuita concursione mundum esse effectum. Plato, uti testatur Martin opere *Le Timée*, ex hac absurda re abhorrens, statuit Deum condidisse materiam neque interminatam neque choaticam, sed ordinem in materia choatica statuisset, eo quod corpora elementaria primo ex se discrevit, dein ita composuit, ut harmonia mundi effulgeret. Altera sententia est eorum, qui contendunt mundum ita extitisse, uti in praesentia conspicitur, uti Aristoteles, sicuti videtur in opere Julii Simon, de Deo Aristotelis, qui docuit: Deum neque materiae, ex qua mundus constat, nec ordinis, qui inter res est materiales, auctorem fuisse, sed ita in quodam mundi puncto consistere, ut, cum omnia moveat, omnium sit penitus ignarus. Tertia est sanctorum Patrum, quam S. Thomas prosequitur, uti

Clemens Alexandrinus, Dionysius Alexandrinus, S. Maximus, S. Basilius, S. Augustinus senserunt. Hi enim vindicant mundum non esse ab aeterno, sed a Deo factum in tempore et ex nihilo, scilicet non ex aliqua materia praeiacenti, atque cum mundo tempus quoque suum habuisse principium. Quarta demum a neoplatonicis reperta fuit, qui, ut discrepantes sententias inter se sociarent, docuerunt mundum esse aeternum, sed a Deo ab aeterno creatum. Philosophi recentiores autem, qui religionem christianam sunt professi, prae viribus defenderunt mundum a Deo esse creatum in tempore, sed in ratione reddenda non omnes convenerunt. Cartesius enim, *Des principes de la Philosophie*, creationem mundi cum atomorum doctrina componere cupiens, dixit mundum fuisse conflatum ex atomorum concursione, sed Deum esse auctorem et materiae et motus. Alii vero repellentes christianismi veritatem asseruerunt vel mundum extitisse qualis nunc est, uti auctor du *Système de la nature*, atque Helvetius, *l'Esprit de la loi*, vel sensim fuisse efformatum ex vi materiae iuncta, uti Beshnerus, antiqua systemata in medium recensentes. Inter has sententias medium locum habuit, quae statuit mundum a Deo fuisse ab aeternitate creatum, uti Origenes aliique a S. Lactantio commemorati. Media vero aetate Echart; atque inter recentes Robinet, Voltaire, Saisset, Henricus Martin, *Essai de la philosophie religieuse*, eandem sententiam vindicarunt, tamen se expedierunt illa ratione, quod aeternitas mundi non esset permiscenda aeternitati Dei, quippe prima erat solum relativa, secunda absoluta. Denique Buechnerus, aliique Germaniae materialistae tenent nullam aliam vim existere, nisi quae materiae inhaereat; quare colligunt mundum ex vi ipsi materiae insita evolutum. (Sequitur.)

